

21. Et nota, vi illius axiomatis, quod
nihil possit esse in effectu quod non præ-
existat in causa, non ex quovis conceptu
ostendi posse actualem rei conceptæ exi-
stentiam; sed tantum ex illo conceptu, qui
majus ac melius quid repræsentat, quam
in concipiente & rebus quibuscumque aliis
conceptis, sive separatim sive junctim ac-
ceptis, reperiatur, qui que adeo nullam a-
liam habere potest causam, præter rem il-
lam animo repræsentatam, optimam,
maximam, potentissimam, sapientissi-
mam, simplicissimam, justissimam, durabi-
lissimam &, ut verbo absolvam, realissi-
mam.

EXERCITATIO VII.

*Idem argumentum pro Dei existentia ex idea Dei,
quæ est in nobis, desumtum paulò adhuc plenius
exponitur.*

1. **Q**uoniam non pauci conquerun-
tur se hujuscce ratiocinii, qua Dei
existentiam (ex eo solo quod cogitare de
Deo mens nostra possit) demonstramus,
vim & veritatem non satis percipere, an
majorem adhuc ei lucem inferre queam
tentabo.

2. In